conscendimus et tenemus, tanto amplius placere credimus, quanto nostris subditis, presertim personis religiosis locisque Deo dicatis, sub nostri tutela regiminis constitutis ut perfectius et quietius Deo deserviant, nostre celsitudinis munificentiam liberalius impertimur.

[2] Igitur cum dive recordacionis quondam dominus Johannes, rex Bohemie et Luczillimburgensis comes, illustris genitor noster, ipso adhuc mentis et corporis suspitate gaudente, in sue progenitorum ac successorum suorum remedium animarum monasterium sanctimonialium ordinis sancte Clare in opido Epternacensi, Treverensis dyocesis ab imperio dependente, erigendum de novo et redditibus sufficientibus dotandum deputaverit, nosque eiusdem genitoris nostri voluntatem et piam intentionem, ut tenemur, ad affectum debitum cupientes perducere et optatum erectionemque dicti monasterii sancte Clare instituerimus libertatibus quoque ac privilegiis pluribus insigniverimus et confirmaverimus, prout hec in nostris patentibus desuper traditis litteris clarius elucescunt. [3] Verum quia monasteriorum institutio, nisi certis et sufficientibus dotaretur redditibus ac proventibus, sine quibus humana subsistere nequid (!) conditio, foret inutilis, nos ipsum monasterium dotandum duximus bonis, redditibus et possessionibus infrascriptis. In primis siquidem ipsi monasterio quatuor villicationes nostras in vulgari meyerien nuncupatas, videlicet in Oswilre, Ernczen, Bollendorf et in Erle cum earundem villicationum fundis, hominibus, villis, jurisdictionibus altis et bassis, officinis, scabinis, censibus, decimis, domibus, areis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, piscariis, nemoribus, rubetis, introitibus, viis et inviis ac omnibus aliis et singulis earundem villicationum juribus et pertinenciis, onere et honore quibuscumque seu quocumque nomine nuncupatis in dotem damus, donamus et conferimus irrevocabiliter jure proprietario pro omni ipsorum voluntate et utilitate perpetuo et pacifice possidendas. [4] Adicientes eidem nostre donationi seu dotationi ipsi monasterio et personis inibi degentibus de nostra munificentia speciali, quod ipsi in predictis villicationibus et eorum districtibus molendina, pistrina et curtes erigere seu construere et in huiusmodi curtibus pecora quecumque nutrire et cum eisdem pecoribus pascuis circumiacentibus uti et gaudere iuxta consuetudinem terre libere valeant, plenam tenore presentium con-